



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118561**

§. 119. Idem a Divo Ignatio ejusque colloquio placatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

proin ejusmodi decreta noverat, Prin- Sæc. XVI.  
ceps Laicus hac ratione obtruderet. A.C. 1553.

Porro cum rumor spargeretur, quod hu-  
jus Cæsarei edicti Auctores essent Jesui-  
tæ, qui jamjam in hac aula pro summo  
imperio dominari cœperant, hinc Julius  
ira in eos accensus non sine indignationis  
suæ signis eos Palatio suo abesse jussit. Eo  
tempore Ignatius, qui vindicias forte a  
quodam Cardinale sperandas ipsus facile  
supplere potuisset, periculo morbo de-  
cumbebat, & cum summo Pontifice con-  
ferre præpediebatur: quo circa sua So-  
cietas hanc vexationem sufferre cogeba-  
tur, usquedum Ferdinandus Romano-  
rum Rex datis ad Julium Papam literis  
ab eo peteret, ut supremum Societatis  
Præpositum ad suum alloquium admit-  
teret, eo quod illi rem maximi momenti  
clam communicasset.

### §. CXIX.

#### *Pontificis indignatio in Societatem concepta per Ignati alloquium sublata.*

Hac via Ferdinandus summo Pontifici  
Divum Ignatium ad se accersendi *Orland.*  
occasionem suppeditabat; unde etiam Vir *Bouhours*  
sanctus recuperata mox salute vocatus *l. 5. p. 402,*  
Papam accessit, ab eodem perbenigne *& seq.*  
exceptus; cum enim Julius illum ob mor-  
bi violentiam viribus fractum cerneret,  
haud

**Sæcul. XVI.** haud quaquam permettere voluit, ut tecto  
A.C. 1553. capite, aut flexis genibus loqueretur, sed  
ambo stantes inter se conferebant, sermo-  
ne præprimis converso ad Romanorum  
Regis mandata: cum autem Ignatius hac  
super re Pontifici plene satisfaceret, tan-  
dem orationem deflectebat ad suam So-  
cietatem, quam ab omnibus sinistris su-  
spicionibus latius tum sparsis tam pro-  
spere vindicabat, ut Julius in pristina,  
quam de Societate conceperat, pia op-  
nione firmatus Ignatium de sua amicitia  
certum esse voluerit, hinc eidem luculen-  
tum suæ erga Collegium Romanum be-  
nevolentiae specimen daturus, quotannis  
duo aureorum millia, aut Abbatiam pro-  
xime vacaturam spopondit, & postea ab  
eodem sciscitus est; an Professorum Do-  
mus necessariis esset provisa: respondit  
Ignatius, quod nulla re egerent, et si ex  
collectis eleemosynis viverent, de cetero  
autem satis locupletes forent, dummodo  
de summi Pontificis benevolentia certi  
essent. Hoc responso captus Papa Præ-  
sulem, quem a Cubiculis habebat, advo-  
cans eidem in mandatis dabat, ut Igna-  
tio, quotiescumque alloquii copiam pe-  
teret, absque mora ingressum concede-  
ret, etiamsi Papam cum Cardinalibus  
conferre nosset. Postera die Pontifex ele-  
mosinæ nomine ad Professorum ædes  
quingentos aureos transmittebat.

§. CXX.